

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Caritas e  
cum fonte primo

Sola caritas est que uincit omnia  
et sine qua nichil ualent omnia,  
et que ubicumque fuerit trahit ad se omnia.

Amate scienciam sed anteponite caritatem.  
Sciencia si sola sit inflat;  
quia uero caritas edificat,  
scienciam non permittit inflari.

Augustinus de doctrina Christiana.

Et utinam possint omnes de una charitate cogitare.  
Sola est enim quae et vincit omnia,  
et sine qua nihil valent omnia,  
et quae ubicumque fuerit trahit ad se omnia.  
Ipsa est quae *non aemulatur*. Quaeris causam?  
Attende quod sequitur: *Non inflatur*.  
Prior est in vitiis superbia, ut dicere coeperam,  
deinde invidia. Non enim invidia peperit  
superbiam, sed superbia peperit invidiam.  
Non enim invidet, nisi amor excellentiae.  
Amor excellentiae, superbia vocatur.  
Cum ergo in ordine prior sit superbia,  
sequatur autem invidia;  
Apostolus in laudibus charitatis noluit  
dicere prius, *Non inflatur*;  
et postea, *Non aemulatur*;  
sed prius dixit, *Non aemulatur*;  
postea, *Non inflatur*. Quare hoc?  
Quia cum dixisset, *Non aemulatur*,  
quasi quaesiturus eras causam,  
quare non aemulatur; subdidit, *Non inflatur*.  
Ergo si ideo non aemulatur, quia non inflatur;  
si inflaretur, aemularetur.  
Hoc in vobis crescat, et anima solidatur,  
quia non inflatur.  
*Scientia*, ait Apostolus, *inflat*.  
Quid ergo? scienciam fugere debetis,  
et electuri estis nihil scire potius quam inflari?  
Ut quid vobis loquimur,  
si melior est ignorantia quam sciencia?  
ut quid vobis disputamus?  
ut quid ista distinguimus?  
ut quid quod nostis admonemus, quod non nostis  
inferimus, si sciencia cavenda est, ne inflat? Ergo  
amate scienciam, sed anteponite caritatem.  
Sciencia si sola sit, inflat.  
Quia uero caritas aedificat,  
non permittit scienciam inflari.

Augustinus Hipponensis, *Sermones de diversis*,  
354.6 (PL 39, col.1565-1566).